

duas partes inæquales : ducta linea EF lineæ AB parallela ex mente Problematis secabitur ea per lineam CD in puncto G eadem ratione : hoc est, ut AD erat ad DB : ita erit EG, ad GF, Constat enim ex Theoremate de sectione Parallela esse

Ut CE ad EA : ita CF ad FB : item

Ut CA ad AD : ita CE ad EG : &

Ut CB ad BD : ita CF ad FG : ob angulorum CAD & CEG : item CBD & CFG æqualitatem. Erit ergo etiam

Ut AD ad EG : ita DB ad GF : &

Ut AD ad DB : ita EG ad GF.

Perspicuum insuper fit ex proximis Tribus Problematis, postquam Proportionis nomen paulò plus innotuit, quàm supra Cap. III. ubi de Parallelis agebatur ;

*Si Parallela lineæ alijs lineis non parallelis interfecentur, intersegmenta earum esse invicem proportionalia.*

Incidant enim in lineas AB, CD, EF, & GH parallelas IK & LM, lineæ : illa in punctis O, Q, S, V, hæc in punctis N, P, R, T. Dico mutua tam parallelarum, quam secantium intersegmenta esse proportionalia, hoc est, Ut LT, ad TV : ita LR ad RS ; & LP ad PQ ; & LN ad LO. Et Ut TV ad RS ; ita RS ad PQ ; & PQ ad NO. Item Ut IO ad NO ; ita IQ ad PQ : & IS ad RS : & IV ad TV esse, & contra. Quæ omnia ex prius dictis plus quàm evidentia esse puto.

